

## No. 94. 1335. Zwischen 30. Juni und 6. Juli.

*B. Gebhard von Merseburg eignet unter Zustimmung seines Capitels eine Hufe und einen Hof in Kleinschkorlopp, welche das Kloster von Hartmann dem Kretzschmar in Hayn, Lehmannne der Merseburger Kirche erkaufft hat.*

In nomine domini amen. Nos Gebhardus dei gratia episcopus ecclesiae Mersburgensis universorum tam praesentium industriae quam futurorum notum esse volumus, quod honorabiles viri domini Nycolaus praepositus totusque conventus sancti Thomae apostoli canonicorum regularium in Lipzk rite et rationabiliter et iusto emptionis titulo suis denariis unum mansum cum curia situm in campis et villa minoris Scorlop<sup>a)</sup>) solventem annua pensione unam marcam argenti usualis, duos solidos denariorum Pygaviensium, quatuor pullos, medium modium tritici, tantum avenae et unum agnum a Hartmanno tabernario de Indagine<sup>b)</sup>), qui ipsum a nobis et ecclesia nostra in pheudo tenuit, cum omnibus iuribus et pertinentiis quos in illo habuit compararunt. Et cum dicti mansi cum curia proprietates ad nos et eandem ecclesiam nostram pertineret, idem Hartmannus cum consensu omnium quorum intererat ad manus nostras sponte et libere ipsum resignavit, renuncians pro se et omnibus suis cuilibet actioni seu impetitioni iuris vel facti, quae sibi in dicto manso competebant seu competere possent in futurum, pecuniamque sibi pro eo dandam numeraliter et plenarie ipsi fore persolutam recognovit humiliter una cum praedicto praeposito sancti Thomae in Lipzk nobis supplicans, ut dei intuitu proprietatem eiusmodi mansi et curiae ecclesiae sancti Thomae praefati donaremus. Unde nos ipsum mansum cum curia liberum per ipsius resignationem in manu nostra tenentes proprietatem ipsius ob dei et beati Thomae apostoli ibidem patroni reverentiam ecclesiae suae et conventui praedictis in Lipzk communicatis nobis ad hoc consensu ac voluntate honorabilium virorum dominorum Guntzelini praepositi, Engelberti decani totiusque nostrae Mersburgensis capituli donavimus incorporavimus et appropriavimus, donamus incorporamus et appropriamus in dei nomine per praesentes de dominio nostro in eorum dominium liberaliter transfundentes, nihil penitus iuris nobis autsuccessoribus nostris seu dictae ecclesiae nostrae capitulo in antea reservantes. In quorum testimonium sigillum nostrum appendi fecimus huic scripto. Et nos Guntzelinus dei gratia praepositus, Engelbertus decanus et totum capitulum saepedictae ecclesiae Mersburgensis in signum expressi nostri consensus omnium praemissorum nostrum sigillum praesenti litterae decrevimus appendendum. Actum et datum Mersburg anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XXXV<sup>o</sup>. infra octavam beatorum Petri et Pauli apostolorum.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den an Pergamentstreifen hängenden Siegeln des Bischofs (zerbrochen) und des Capitels (wohlerhalten).

a) Kleinschkorlopp, Kr. Merseburg, Par. Hohenlohe. b) Hayn, Eph. Borna.